

Gen. 14. 18. „divina testatur, & dicit: *Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham.* Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis „Spiritus Sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens: *Ante Luciferum genui te, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*” Hæc & alia quæ sequuntur hujus epistolæ, submissæ dictionis modum servant, quod facile est explorare legentibus.

Psal. 109. 4.

* Ex Ambrosio lib. I. de Spiritu Sancto, in Prologo. Iud. 6. 19.

I. Cor. 10. 4.

46. Sanctus quoque Ambrosius cum agerem magnam de Spiritu Sancto, ut eum Patri & Filio demonstraret æqualem, submisso tamen dicendi genere utitur; quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat. Ergo inter cetera in principio hujus operis ait: * „Commotus oraculo Gedeon, cum audisset, quòd deficientibus licet populorum millibus, in uno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hædum caprarum, cujus carnem, secundum præceptum Angeli, & azyrna supra petram posuit, & ea jure perfudit, quæ simul ut virgæ cacumine, quam gerebat, Angelus Dei contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerrebatur absumptum est. Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est: *Bibebant de consequenti petra, petra autem erat Christus.* Quod utique non ad divinitatem ejus, sed ad carnem relatatum est; quæ sitiientium corda populorum perenni rivo sui sanguinis inundavit. Jam tunc igitur in mysterio declaratum est, „Do-

„Dominus Jesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hædi ad culpam facti refertur; jus ad illecebras cupiditatum; sicut scriptum est: *Quia concupivit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt: Quis nos cibabit carne?*” Quòd igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exiit, ostendit quòd caro Domini Spiritu repleta divino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde & Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, & cetera: in quibus rei docendæ ac probandæ maximè incumbit.*

Num. 11.

Luc. 12. 49.

47. De genere temperato est apud Cyprianum virginitatis illa laudatio: * „Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quòd sublimior gloria est, major & cura. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantòque plus a gloriosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris augecit. Et alio loco in fine epistolæ: „Quomodò portavimus, inquit, imaginem ejus qui de limo est, sic portemus & imaginem ejus qui de cælo est. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat & veritas; portant disciplinæ Dei memores,

Temperatæ dictionis exemplum.

* Ex Cypriano in tractatu de disciplina & habitu virginum.

I. Cor. 15. 49.

M 2

jus-

^a Apud Cyprianum, copiosa virginitas: in Floriensi. MS. generosa.

„justitiam cum religione retinentes, stabiles in
 „fide, humiles in timore, ad omnem toleran-
 „tiam fortes, ad sustinendas injurias mites;
 „ad faciendam misericordiam faciles, frater-
 „na pace unanimes atque concordēs. Quæ
 „vos singula, ò bonæ virgines, observare;
 „diligere, implere debetis, quæ Deo & Chris-
 „to vacantes, ad Dominum cui vos dicas-
 „tis, majore & meliore parte præceditis. Pro-
 „vectæ annis, junioribus facite magisterium;
 „minores natu, præbete majoribus ministe-
 „rium, comparibus incitamentum; hortamen-
 „tis vos mutuis excitare, æmulis de virtute
 „documentis ad gloriam provocare; durate
 „fortiter; spiritualiter pergite; pervenite fe-
 „liciter: tantum mementote tunc nostri, cum
 „incipiet in vobis virginitas honorari.”

48. Ambrosius etiam genere dicendi tem-
 perato & ornato professis virginibus propo-
 nit, tamquam sub exempli forma, quod mo-
 ribus imitentur, & dicit: * Virgo erat, non
 „solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo
 „doli ambitu sincerum adulteraret affectum:
 „corde humilis, verbis gravis, animi pru-
 „dens, loquendi parcior, legendi studiosior;
 „non in incerto divitiarum, sed in prece
 „pauperis spem reponens, intenta operi, ve-
 „recunda sermoni; arbitrum mentis solita
 „non hominem, sed Deum quærere; nullum
 „lædere, bene velle omnibus, adsurgere ma-
 „joribus natu, æqualibus non invidere, fu-
 „gere jactantiam, rationem sequi, amare vir-
 „tutem. Quando ista vel vultu læsit paren-
 „tes? Quando dissensit à propinquis? Quando
 „fastidivit humilem? Quando risit debilem?
 „Quando vitavit inopem? Eos solos solita coc-
 „tus virorum invisere, quos misericordia non

„eru-

„erubesceret, neque præteriret verecundia.
 „Nihil torvum in oculis, nihil in verbis pro-
 „cax, nihil in actu inverecundum; non ges-
 „tus fractior, non incessus solutior, non vox
 „petulantior, ut ipsa corporis species simu-
 „lacrum fuerit mentis, & figura probitatis.
 „Bona quippè domus in ipso vestibulo de-
 „bet agnosci, ac primo prætendat ingressu,
 „nihil intus latere tenebrarum, tamquam lu-
 „cernæ lux intus posita, foris luceat. Quid
 „ego exsequar ciborum parsimoniam, offi-
 „ciorum redundantiam, alterum ultra naturam
 „superfuisse, alterum ipsi naturæ penè defuis-
 „se? Illic nulla intermissa tempora, hic con-
 „geminati jejunio dies; & si quando reficiendi
 „successisset voluntas, cibis plerumque ob-
 „nivius, qui mortem arceret, non delicias mi-
 „nistraret, &c.” Hæc autem propterea in
 exemplo hujus temperati generis posui, quia
 non hic agit ut virginitatem voveant, quæ
 nondum voverunt, sed quales esse debeant,
 quæ jam votæ sunt. Nam ut aggrediatur
 animus tantum ac tale propositum, grandi
 utique dicendi genere debet excitari & ac-
 cendi. Sed martyr Cyprianus de habitu vir-
 ginum, non de suscipiendo virginitatis pro-
 posito scripsit. Iste verò episcopus etiam ad
 hoc eas magno accendit eloquio.

49. Verum ex eo quod ambo egerunt, *Grandis ge-
neris exem-
plum.*
 dictionis grandis exempla memorabo. Ambo
 quippè invecti sunt in eas, quæ formam pig-
 mentis colorant, vel potius decolorant: quo-
 rum prior ille cum ageret, ait inter ce-
 tera: * Si quis pingendi artifex vultum ali-
 „cujus, & speciem, & corporis qualitatem
 „æmulo colore signasset, & signato jam con-
 „summatoque simulacro, manus alius infer-

M 3

„ret,

* Ex Am-
 bro. de
 Virginibus
 lib. 2. in
 princip.

* Ex Cy-
 priano in
 tractatu de
 disciplina
 & habitu
 Virginum.

ret, ut jam formata, jam picta quasi pe-
 rior reformaret; gravis prioris artificis in-
 juria, & justa indignatio videretur: tu te exis-
 timas impunè laturam tam improbæ teme-
 ritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut
 enim impudica circa homines, & incesta
 fucis lenocinantibus non sis, corruptis vio-
 latisque quæ Dei sunt, pejor adultera de-
 tineris. Quod ornari te putas, quod putas
 comi, impugnatio est ista divini operis, præ-
 varicatio est veritatis. Monentis Apostoli
 vox est: *Expurgate vetus fermentum, ut
 sitis nova conspersio, sicut estis azymi.
 Etenim Pascha nostrum immolatus est
 Christus. Itaque festa celebremus, non in
 fermento veteri, neque in fermento mali-
 tiæ & nequitiae, sed in azymis sinceritatis
 & veritatis.* Num sinceritas perseverat &
 veritas, quandò quæ sincera sunt polluun-
 tur, & colorum^a adulteriis, & medicami-
 num fucis in mendacium vera mutantur?

Matth. 5.
36.

Dominus tuus dicit: *Non potes facere ca-
 pillum unum album aut nigrum: & tu
 ad vincendam Domini tui vocem vis te esse
 potiorum? Audaci conatu & sacrilego con-
 temtu crines tuos inficis, malo præstigio fu-
 turorum capillos jam tibi flammeos auspi-
 caris. Longum est inserere omnia, quæ se-
 quuntur.*

50. Ille verò posterior, ut in tales dice-
 ret: * Hinc illa, inquit, nascuntur incentiva
 vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depin-
 gant, dum viris displicere formidant, & de
 » adul-

* Ex Am-
 bros. lib. 1.
 de Virgini-
 bus.

^a Editi & MSS. apud Augustinum, & colorum adul-
 terinis medicaminum. Castigamus ex Cypriani libro, &
 colorum adulteriis, & medicaminum.

» adulterio vultus meditentur adulterium cas-
 » titatis. Quanta hæc amentia, effigiem muta-
 » re naturæ, picturam quærere, & dum ve-
 » rentur maritale iudicium, ^a prodere suum!
 » Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mu-
 » tare quod nata est: ita dum alii studet pla-
 » cere, prius ipsa sibi displicet. Quem judi-
 » cem, mulier, veriore requiremus defor-
 » mitatis tuæ, quam teipsam, quæ videri ti-
 » mes? Si pulchra es, cur absconderis? Si de-
 » formis, cur te formosam esse mentiris, nec
 » tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris
 » habitura? Ille enim alteram diligit, tu alte-
 » ri vis placere: & irasceres si amet alteram,
 » qui adulterare in te docetur. Mala magis-
 » tra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit,
 » etiam quæ est passa lenonem: ac licet vi-
 » lis mulier, non alteri tamen, sed sibi pec-
 » cat. Tolerabiliora propemodum in adulterio
 » crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura
 » adulteratur. Satis, ut existimo, apparet fe-
 » minas, ne suam fucis adulterent formam, &
 » ad pudorem & ad timorem hac facundia vehe-
 » menter impelli. Proinde neque submissum ne-
 » que temperatum, sed grande omninò genus
 » hoc elocutionis agnoscimus. Et in his autem,
 » quos duos ex omnibus proponere volui, &
 » in aliis ecclesiasticis viris & bona, & benè, id
 » est, sicut res postulat, acutè, ornatè, arden-
 » terque dicentibus, per multa eorum scripta
 » vel dicta possunt hæc tria genera reperiri, &
 » assidua lectione vel auditione, admixta etiam
 » exercitatione, studentibus inolescere.

M 4

NEC

^a Ita apud Ambrosium. At in Augustinianis codici-
 bus aliquot, *perdere*: in aliis, *perdidere*, aut *perdi-
 derunt*.

CAPUT
XXII.
Omnibus
generibus
dictio va-
rianda est.

51. NEC quisquam præter disciplinam esse existimet ista miscere: imò quantum congruè fieri potest, omnibus generibus dictio varianda est. Nam quando proluxa est in uno genere, minus detinet auditorem. Cum verò sit in aliud ab aliò transitus, etiamsi longius eat, decentius procedit oratio: quamvis habeant & singula genera varietates suas in sermone eloquentium, quibus non sinuntur in eorum, qui audiunt, frigescere vel tepescere sensibus. Verumtamen facilius submissum solum, quam solum grande diutius tolerari potest. Commotio quippe animi quanto magis excitanda est, ut nobis assentiatur auditor, tantò minus in ea diu teneri potest, cum fuerit quantum satis est excitata. Et ideò cavendum est, ne dum volumus altius erigere quod erectum est, etiam inde decidat, quò fuerat excitatione perductum. Interpositis verò quæ sunt dicenda submissius, benè reditur ad ea quæ opus est granditer dici, ut dictionis impetus sicut maris æstus alternet. Ex quo fit ut grande dicendi genus, si diutius est dicendum, non debeat esse solum, sed aliorum generum interpositione varietur: ei tamen generi dictio tota tribuitur, cujus copia prævaluerit.

CAPUT
XXIII.
Quomodo
intermis-
cenda dic-
tionis ge-
nera.

52. INTEREST enim quod genus cui generi interponatur, vel adhibeatur, certis & necessariis locis. Nam & in grandi genere semper aut penè semper temperata decet esse principia. Et in potestate est eloquentis, ut dicantur nonnulla submissè, etiam quæ possent granditer dici, ut ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, & eorum tamquam umbris luminosiora reddantur. In quocumque autem genere aliqua quæ-
tio-

tionum vincula solvenda sunt, acumine opus est, quod sibi submissum genus propriè vindicat. Ac per hoc eo genere utendum est & in aliis duobus generibus, quando eis ista incidunt, sicut laudandum aliquid vel vituperandum, ubi nec damnatio cujusquam nec liberatio, nec ad actionem quamlibet assensio requiritur, in quocumque alio genere occurrerit, genus adhibendum & interponendum est temperatum. In grandi ergo genere inveniunt locos suos duo cetera, & in submisso similiter. Temperatum autem genus non quidem semper, sed tamen aliquando submissum indiget, si, ut dixi, quæstio, cujus nodus est solvendus, incurrat, vel quando nonnulla, quæ ornari possent, ideò non ornantur, sed submisso sermone dicuntur, ut quibusdam quasi toris ornamentorum præbeant eminentiorem locum. Grande autem genus temperata dictio non requirit: ad delectandos quippe animos, non ad movendos ipsa suscipitur.

53. NON sanè si dicenti crebrius & vehementius acclametur, ideò granditer putandus est dicere: hoc enim & acumina submissi generis, & ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerumque pondere suo voces premit, sed lacrymas exprimit. Denique cum apud Cæsaream Mauritanie populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plus quam civilem, quam *Catervam* vocabant (neque enim cives tantummodò, verum etiam propinqui, fratres, postremò parentes ac filii lapidibus inter se, in duas partes divisi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni solemniter dimicabant, & quisque ut quemque poterat occidebat) egi quidem granditer

CAPUT
XXIV.
Sublime
dicendi ge-
nus quid
efficiat.

ter, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus & moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo: non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri & delectari, flecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi adspexi, immanem illam consuetudinem à patribus, & avis, longèque à majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potiùs possidebat, devictam, antequam re ipsa id ostenderent, credidi. Moxque sermone finito, ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ^a fermè octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est. Sunt & alia multa experimenta, quibus didicimus, homines quid in eis fecerit sapientis granditas dictionis, non clamore potiùs quàm gemitu, aliquandò etiam lacrymis, postremò vitæ mutatione monstrasse.

54. Submisso etiam dicendi genere sunt plerique mutati, sed ut quod nesciebant scirent, aut quod eis videbatur incredibile, crederent; non autem ut agerent quod agendum jam noverant, & agere volebant. Ad hujusmodi namque duritiam flectendam debet granditer dici. Nam & laudes & vituperationes, quando eloquenter dicuntur, cum sint in genere temperato, sic afficiunt quosdam, ut

^a Hic itaque liber perfectus fuit sub annum 426. Nam Augustini in Mauritaniam Cæsariensem profectio pertinet ad annum 418. ex Epist. 190. & 193. num. 1. Atque apud Cæsaream, ubi se concionem illam ante octo aut amplius annos habuisse memorat, agebat S. Doctor mense Septembri ejusdem anni 418. ex lib. de Gestis cum Emerito.

ut non solùm in laudibus & vituperationibus eloquentia delectentur, verùm & ipsi laudabiliter appetant, fugiantque vituperabiliter vivere. Sed numquid omnes qui delectantur, ^a mutantur, sicut in grandi genere omnes qui flectuntur, agunt; & in submisso genere omnes qui docentur, sciunt, aut credunt verum esse quod nesciunt?

55. UNDE colligitur illa duo genera quod efficere intendunt, hoc eis esse maximè necessarium, qui sapienter, & eloquenter volunt dicere. Illud verò quod agitur genere temperato, id est, ut eloquentia ipsa delectet, non est propter seipsum usurpandum, sed ut rebus quæ utiliter honestèque dicuntur (si nec docente indigent eloquio nec movente, quia & scientes & faventes auditores habent) aliquantò promtius ex delectatione ipsa elocutionis accedat, vel tenaciùs adhærescat assensus. Nam cum eloquentiæ sit universale officium, in quocumque istorum trium generum, dicere aptè ad persuasionem, finis autem, id quod intenderis, persuadere dicendo; in quocumque istorum trium generum dicit quidem eloquens aptè ad persuasionem, sed nisi persuadeat, ad finem non pervenit eloquentiæ. Persuadet autem in submisso genere vera esse quæ dicit: persuadet in grandi, ut agantur quæ agenda esse jam sciuntur, nec aguntur: persuadet in genere temperato, pulchrè ornateque se dicere: quo fine nobis quid opus est? Appetant eum qui lingua gloriantur, & se in panegyricis talibusque dictionibus jactant, ubi nec docendus, nec ad aliquid agendum movendus, sed

CAP. XXV.
Temperatum dicendum genus quem in finem referri decet.

tan-

^a MSS. quatuor, imitantur.

tantummodò est delectandus auditor. Nos verò istum finem referamus ad alterum finem, ut scilicet quod efficere volumus, cum granditer dicimus, hoc etiam isto velimus, id est, ut bonorum diligentur, vel devitentur mala; si ab hac actione non sic alieni sunt homines, ut ad eam grandi genere dictionis urgendi videantur; aut si jam id agunt, ut agant studiosius, atque in eo firmiter perseverent. Ita fit ut etiam temperati generis ornatu non jactanter, sed prudenter utamur: non ejus fine contenti, quod tantummodò delectatur auditor; sed hoc potius agentes, ut etiam ipso ad bonum, quod persuadere volumus, adjuvetur.

CAPUT
XXVI.

In uno quoque dicendi genere intendere debet Orator, ut intelligenter, libenter, & obedienter audiatur.

56. ILLA itaque tria, quæ supra posuimus, eum qui sapienter dicit, si etiam eloquenter vult dicere, id agere debere, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, non sic accipienda sunt tamquam singula illis tribus dicendi generibus ita tribuantur, ut ad submissum intelligenter, ad temperatum libenter, ad grande pertineat obedienter audiri: sed sic potius, ut hæc tria semper intendat, & quantum potest agat, etiam cum in illorum singulo quoque versatur. Nolumus enim fastidiri, etiam quod submissè dicimus: ac per hoc volumus non solum intelligenter, verum etiam libenter audiri. Quid autem agimus, divinis testimoniis docendo quod dicimus, nisi ut obedienter audiamur, id est, ut credatur eis, opitulante illo cui dictum est: *Testimonia tua credita a facta sunt valde?* Quid etiam cupit nisi credi, qui aliquid, licet submisso eloquio, discentibus narrat? Et quis eum velit

Psal. 92. 5.

a Editi, *credibilia*. At MSS. *credita*. Sic passim Augustinus, juxta græcæ versionem LXX. *ἐπιζώσθηται*.

audire, nisi auditorem nonnulla etiam suavitate detineat? Nam si non intelligatur, quis nesciat, nec libenter eum posse, nec obedienter audiri? Plerumque autem dictio ipsa submissa, a dum solvit difficillimas quæstiones, a & inopinata manifestatione demonstrat, dum sententias acutissimas de nescio quibus quasi cavernis, unde non sperabatur, eruit, & ostendit; dum adversarii vincit errorem, & docet falsum esse, quod ab illo dici videbatur invictum; maximè quandò adest ei quoddam decus non appetitum, sed quodammodò naturale, & nonnulla non jactantacula, sed quasi necessaria, atque (ut ita dicam) ipsis rebus b extorta numerositas clausularum, tantas acclamationes excitat, ut vix intelligatur esse submissa. Non enim quia neque incedit ornata, neque armata, sed tamquam nuda congredditur, idè non adversarii nervis lacertisque collidit, & obsistentem subruit, ac destruit membrum fortissimis falsitatem. Unde autem crebrò, & multum acclamatur ita dicentibus, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic invicta delectat? Et in hoc igitur genere submisso iste noster doctor & dictor id agere debet, ut non solum intelligenter, verum etiam libenter, & obedienter audiatur.

57. Illa quoque eloquentia generis temperati apud eloquentem Ecclesiasticum, nec inornata relinquitur, nec indecenter ornatur; nec solum hoc appetit ut delectet, quod solum apud alios proficitur; verum etiam in

a In vulgatis, *dissolvit*: ac paulo infra, & *quando nonnulla non jactantacula*. Hic vero particula, *quando*, abest à MSS. & sanè redundat, si superius legatur, *dum solvit*, uti reipsa ferunt MSS. omnes.

b MSS. plures, *extorta*.

iis quæ laudat, sive vituperat, istis appetendis vel firmiùs tenendis, illis autem devitandis vel respuendis, vult utique obedienter audiri. Si autem non auditur intelligenter, nec libenter potest. Proinde illa tria, ut intelligant qui audiunt, ut delectentur, ut obediant, etiam in hoc genere agendum est, ubi tenet delectatio principatum.

58. Jam verò ubi movere, & flectere grandi genere opus est auditorem (quod tunc est opus, quando & veraciter dici & suaviter, confitetur, & tamen non vult facere quod dicitur) dicendum est proculdubio granditer. Sed quis movetur, si nescit quod dicitur? Aut quis tenetur ut audiat, si non delectatur? Unde & in isto genere, ubi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum est, nisi & intelligenter, & libenter qui dicit audiatur, non potest obedienter audiri.

59. HABET autem, ut obedienter audiat, quantacumque granditate dictionis majus pondus vita dicentis. Nam qui sapienter & eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis *animæ suæ sit inutilis*, sicut scriptum est. ^a Unde ait & Apostolus: *Sive occasione, sive veritate, Christus annuntietur.* Chris-

^a Editi, *Sicut scriptum est, Scribæ & Pharisei in cathedra Moysi sederunt: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt.* Abest ab omnibus MSS. hæc Scripturæ sententia, hunc in locum opinamur immissa propter clausulam, *sicut scriptum est*, quæ referenda fuerat ad præcedentia verba ex Eccli. 37. 22. ubi legitur: *Est vir astutus multorum eruditor, & animæ suæ inutilis est*: in antiqua lectione græcâ, quæ nunc exstat, ἀχρηστος ἐστίν, pro quo Latinæ versionis vulgatæ auctor legebat, χρηστος; quan-

Christus autem veritas est, & tamen etiam non veritate annuntiari veritas potest, id est, ut pravo & fallaci corde, quæ recta & vera sunt, prædicentur. Sic quippe annuntiatur Jesus Christus ab eis, qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Sed quoniam boni fideles non quemlibet hominem, sed ipsum Dominum obedienter audiunt, qui ait: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt*; ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis ecclesiasticæ, quam sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus priusquam de talibus, quod commemoravi, diceret, præmisit: *Super cathedram Moysi sederunt.* Illa ergo cathedra, non eorum sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam bona non facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.

60. Multis itaque prosunt, dicendo quæ non faciunt; sed longè pluribus prodescent, faciendo quæ dicunt. Abundant enim qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis & doctoribus quærant, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt; ore suo, atque dicentes: Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit ut eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, & Dei verbum quod eis prædicatur, simul cum ipso prædicatore contemnant. Denique Apostolus scribens ad Timotheum, cum dixisset: *Nemo adolescentiam*

tuam quandoquidem reddidit, *suavis est*, quæ una erat lectio in MSS. nostris Bibliis; ubi jam in excusis utraque conjunctim reperitur.

1. Tim. 4.
12.

CAPUT
XXVII.
Obedien-
tibus audi-
ri cujus vi-
ta dictioni
respondet.

Eccli. 37.
22.

^a
Phil. I. 18.

tuam contemnat; subjecit undè non contemneretur; atque ait: Sed forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in fide, in castitate.

CAPUT
XXV. II.
Veritati potius
quàm verbis studendum.
2. Cor. 8.
21.

1. Cor. 1.
17.
2. Tim. 2.
14.

Tit. 1. 9.
Verbis contendere
quid sit.

61. TALIS doctor ut obedienter audiat, non impudenter non solum submissè ac temperatè, verum etiam granditer dicit, quia non contentibiliter vivit. Sic namque eligit bonam vitam, ut etiam bonam non negligat famam, sed provideat bona coram Deo & hominibus, quantum potest, illum timendo, his consulendo. In ipso etiam sermone malis rebus placere quàm verbis; nec æstimet dici melius, nisi quod dicitur verius; nec doctor verbis serviat, sed verba doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait: *Non in sapientia verbi; ne evacuetur crux Christi.* Ad hoc valet etiam, quod ait ad Timotheum: *Noli verbis contendere: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Neque enim hoc ideò dictum est, ut adversariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. Et ubi erit, quod cum ostenderet qualis esse episcopus debeat, ait inter cetera: *Ut potens sit in doctrina sana & contradicentes redarguere?* Verbis enim contendere, est non curare quomodò error veritate vincatur, sed quomodò tua dictio dictioni præferatur alterius. Porro qui non verbis contendit, sive submissè, sive temperatè, sive granditer dicat, id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat: quoniam nec ipsa, quæ præcepti finis & plenitudo Legis est caritas, ullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt. Sicut autem cujus pulchrum corpus & deformis est animus, magis dolendus est,

est, quàm si deforme haberet & corpus: ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt dicunt, magis miserandi sunt, quàm si talia deformiter dicerent. Quid est ergo non solum eloquenter, verum etiam sapienter dicere, nisi verba in submisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus, quas audiri oporteat, adhibere? Sed qui utrumque non potest, dicat sapienter, quod non dicit eloquenter, potius quàm dicat eloquenter, quod dicit insipienter. * Si autem ne hoc quidem potest, ita conversetur, ut non solum sibi præmium comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum, & sit ejus quasi copia dicendi forma vivendi.

* CAPUT
XXIX.

62. Sunt sanè quidam qui benè pronuntiare possunt, quid autem pronuntiant, excogitare non possunt. Quod si ab aliis sumant eloquenter sapienterque conscriptum, memoriæque commendent, atque ad populum proferant, si eam personam gerunt, non improbè faciunt. Sic enim, quod profectò utile est, multi prædicatores veritatis fiunt, nec multi magistri, si unius veri magistri idipsum dicant omnes, & non sint in eis schismata. Nec deterrendi sunt isti voce Jeremiæ prophætæ, per quem Deus arguit eos, qui *furantur verba ejus, unusquisque à proximo suo*; qui enim furantur, alienum auferunt; verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei: potiusque ille dicit aliena, qui cum dicat benè, vivit malè. Quæcumque enim bona dicit, ejus excogitari videntur ingenio, sed ab ejus moribus aliena sunt. Eos itaque dixit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt, cum mali sint, faciendo quæ sua sunt.

Non culpandus Ecclesiastes, qui à peritiorum sumit conscriptum eloquium, quod ad populum proferat.

* Jer. 23. 30.

Nec sanè ipsi dicunt bona, quæ dicunt, si diligenter attendas. Quomodo enim dicunt verbis, quod negant factis? Non enim frustra de talibus ait Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Modo ergo quodam ipsi dicunt, & rursus alio modo non ipsi dicunt; quoniam utrumque verum est quod veritas ait. De talibus enim loquens: *Tit. 1. 16.* *Quæ dicunt, inquit, facite; quæ autem faciunt, facere nolite;* hoc est, quod ex ore illorum auditis, facite; quod in opere videtis, facere nolite; *dicunt enim, inquit, & non faciunt.* Ergo quamvis non faciant, dicunt tamen. Sed alio loco tales arguens: *Hypocritæ, inquit, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Ac per hoc & ea quæ dicunt, quandò bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet, atque opere negando, quod dicunt. Unde contingit, ut homo disertus & malus, sermonem quo veritas prædicetur, dicendum ab alio non diserto sed bono, ipse componat: quod cum fit, ipse à seipso tradit alienum, ille ab alieno accipit suum. Cum verò boni fideles bonis fidelibus hanc operam commendant, utrique sua dicunt: quia & Deus ipsorum est, cujus sunt illa quæ dicunt; & ea sua faciunt, quæ non ipsi componere potuerunt, qui secundum illa compositè vivunt.

CAP. XXX.

Conciator præmittat orationem ad Deum.

Esth. 14.

13.

63. SIVE autem apud populum, vel apud quoslibet jamjamque dicturus, sive quod apud populum dicendum, vel ab eis qui voluerint, aut potuerint legendum est dictaturus, oret ut Deus sermonem bonum det in os ejus. Si enim regina oravit Esther, pro suæ gentis temporaria salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret: quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui

qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat? Illi verò qui ea dicturi sunt, quæ ab aliis acceperunt, & antequam accipiant, orent pro eis à quibus accipiunt, ut eis detur quod per eos accipere volunt; & cum acceperint, orent ut benè & ipsi proferant, & illi ad quos proferunt sumant; & de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, à quo id se accepisse non dubitant: ut qui *Sap. 7. 16.* gloriatur, in illo gloriatur, in cujus manu sunt & nos & sermones nostri.

64. LONGIOR evasit liber hic, quam volebam, quamque putaveram. Sed legenti vel audienti, cui gratus est, longus non est: cui autem longus est, per partes eum legat, qui habere vult cognitum; quem verò cognitionis ejus piget, de longitudine non queratur. Ego tamen Deo nostro gratias ago, quòd in his quatuor libris, non qualis ego essem, cui multa desunt, sed qualis esse debeat, qui in doctrina sana, id est, christiana, non solum sibi, sed etiam aliis laborare studet, quantum lacumque potui facultate disserui.

CAPUT XXXI. Excusat prolixitatem libri.

IN OPUS SUBSEQUENS,
LIBRI II.
RETRACTATIONUM
CAPUT LVIII.

^a Interea ^a liber quidam cujusdam hæretici, sive marcionistæ, sive cujuslibet eorum quorum error opinatur, quòd istum mundum non Deus fecerit, nec Deus Legis, quæ data est per Moysen, & Prophetarum ad eandem Legem pertinentium, verus sit Deus, sed pessimus dæmon, cum apud Cartaginem multis confluentibus & adtentissimè audientibus, in platea maritima legeretur, pervenerunt ad eum fratres studiosissimè christiani, eumque mihi redarguendum sine ulla dilatione miserunt, multum rogantes, ut nec ego respondere differem. Refelli eum libris duobus, quos ideò prænotavi: *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*; quia codex ipse qui missus est, nomen non habebat auctoris. Hoc opus sic incipit: *Libro quem misistis, Fratres dilectissimi.*

^a Proximè ante recensitis libris de Anima & ejus origine, deque adulterinis Conjugiis, qui libri ad annum 419. pertinent, significat jam Augustinus à se conscriptos per idem ferè tempus fuisse subsequentes contra Adversarium Legis & Prophetarum libros. Hujus Operis cum laude meminit Cassiodorus in lib. de Institutione divinarum litterarum cap. 1. Capita libri adversarii singula, quæ referenda hic fuerunt, recensentur ante finem libri 2. in cap. 10.

S.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
CONTRA
ADVERSARIUM LEGIS
ET PROPHETARUM,
LIBRI * DUO.

* Scripti
circiter ini-
tium anni
420.

LIBER PRIMUS.

*In quo veteris Testamenti loca calumniosè
reprehensa vindicantur.*

I. LIBRO, quem misistis, Fratres dilectissimi, nescio cujus hæretici, invento, sicut scripsistis, in platea maritima, cum venalis codex ipse ferretur, & concurrentibus turbis periculosa curiositate & delectatione legeretur, ut quanto possem compendio responderem, prius quæsivi, cujusnam esset erroris. Non enim soli manichæi Legem Prophetasque condemnant, sed & marcionistæ, & alii nonnulli quorum sectæ non ita innotuerunt populis christianis. Iste autem, cujus nomen in eodem libro non comperi, detestatur Deum mundi fabricatorem: cum manichæi, quamvis librum Gèneseos non accipiant, atque blasphemant, Deum tamen bonum fabricasse mundum, etsi ex aliena natura atque materia,

CAPUT I.

N 3

con-